

Codice Diplomatico Longobardo I, 17

Dum in Dei nomine ex iussione piissimi et a Deo conseruato domno Liutprando rege directus fuisse ego Ambrosius inluster maioredomus partibus Tusciae, coniungentis me in ciuitate Aretinam, ibique ueniens ad nos beatissimus uir Lupertianus episcopus huius Aretinae ecclesiae, suggessit nobis eo quod multas uiolentias substinuerit ab episcopo Senense, nomine Adeodato, de ecclesiis uel plebes et a tempore Romanorum sedis Sancti Donati possid[et]. haec auditio, fecimus superscripti Adeodato episcopo una cum Taiperto gastaldo Senense ciuitate in nostris uenire presentiam, quatenus cum iam dicto Lupertiano episcopo Aretinae ciuitatis de predictas ecclesiis causa dicere deberet. sed dum se ambae partis in nostris coniunxit presentia in curte domno regis, in loco qui dicitur a Sancto Martino, adserebat nominatus uenerabilis Lupertianus episcopus dicens: Quia baptisterium Sancti Felicis, baptisterium Sancta Maria in Patina, baptisterium a Sancto Uito iuxta Uescona, baptisterium a Sancto Iohannes, baptisterium a Sancta Mater Ecclesie in Sessiano, baptisterium a Sancto Andrea in Malceno, baptisterium a Sancto Stephano in Asciano, baptisterium a Sancta Mater Ecclesia in Cosona, baptisterium ad Sanctum Ualentinum in Ursina, baptisterium a Sancta Mater Ecclesia in castello Politiano, baptisterium a Sancto Donato in Citiliano, baptisterium a Sancto Uito in Rutiliano, baptisterium a Sancto Quirici in Ausenna, baptisterium Sancte Mater Ecclesiae in Paua, baptisterium a Sancta Restituta, baptisterium Sancte Mater Ecclesiae in Misula, nec non et monasterium Sancti Angeli in Luco, monasterium Sancti Petri ad Axo, una cum omnibus ecclesiis pertinentes ad prenominatas baptisteria, a tempore Romanorum semper sedis Sancti Donati ipsas ecclesiis prenominatas ordinavit, et sacrationem in presbiteros fecit, et crisma semper de eadem sede petierunt, et presbiteri, qui modo presentis in istas ecclesiis esse noscuntur, antecessores nostros et nos ibidem ordinauimus. Ad hec respondebat prenominatus Adeodatus episcopus Senense ciuitatem: Quia ecclesiis istas uel diocias, unde agimus, in territorium Senense positae sunt, et ad Senensem ecclesiam debent pertinere; quia durn Langobardi Tussciam occupassent et Senense ciuitate menime episcopus fuisset ordinatus, episcopus ille, qui tunc in Aritio tempore illo erat, ecclesiis istas presit; et, quod certum est, presbiteros ordinavit, et sacrationem in ipsas fecit, sed per nostram petitionem, eo quod Sena menime abere episcopum. Tunc uero replicabat sepius nominatus Lupertianus episcopus: Et postquam Langobardi Italia ingressi sunt, primum quidem tempore domno Rothareni regis ordinatus est in ciuitate Senense episcopus nomine Maurus; et si per uestra petitionem ipsas ecclesiis ordinasset, cur eas nobis ab ipso episcopo uel ab eius posteris dimissa sunt? sicut eas antea tempore Romanorum possidimus, sic et Langobardorum tempora sine aliqua querela a iure sedis Sancti Donati pertinuerunt semper. et ut completum cognoscas, ecce manusscriptas superscriptorum presbiterorum, quas fecerant ad sedem Sancti Donati quando in honore suo a nobis ordinati sunt, et indiculum sacramenti ubi iurauerunt ad predictam sedem secundum qualiter consuetudo est. Tunc nos qui supra Ambrosius inluster maioredomus, dum ad tantorum annorum curricula possessionem ecclesiae Sancti Donati in predictas baptisterias uel edoceas esse cognouissemus, iustum nobis paruit, ut, qualiter qua tempore quod Langubardi Italia ingressi sunt usque in presente tempus sedes Sancti Donati sepius repetitas ecclesiis possedit, modo et deinceps, sine aliquam taxationem, eas liceat canonico ordine iudicare et ordinare, et nullam facundiam abeant neque Adeodato episcopus Senense ciuitatis neque posteris successores eius contra Lupertianus uel eius successores de superscripti edosthicos loquendi uel causandi; sed in omni tempore in eadem

deliberationem ambe partis debeant permanere. Unde hanc notitiam pro perpetuam
firmitatem Sichifredum notarium regis scribere admonuemus. Factam notitiam iudicati
mense augusti, regnante excellentissimo domno Liutprando rege, anno tertio, indictio .XI.
Actum in curte domno regis, ciuitate Senensi.